

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1033

1031

1037

1027

1042

1022

1082

0982

0932

0532

0032

Ende

Anfang

460

Ex iam dictis patet descriptio sacri montis, commendatio ta-  
men eximia et sanctitas ejus ex canonicis scripturis clarius  
habetur in multis locis, sicut Exodi III. et XIX. et XX, et  
Deuter. V., ubi dicitur, quod mons ille ardebat usque ad coe-  
lum, et per totum pentateuchum et in psalmis et prophetis.  
Ex quibus omnibus infertur, quod mons Oreb Synai est mons  
excellentiae et altitudinis; mons divinae habitationis et an-  
gelorum frequentationis; mons luminis, ignis et inflammationis;  
mons terribilis nubis et caliginis; mons sapientiae et erudi-  
tionis; mons misericordiae et promissionis, justitiae et com-  
municationis; mons fulgoris et coruscationis; mons tubae et  
clangoris; mons amicitiae et confoederationis; mons clemen-  
tiae et propitiationis; mons sacrificii et orationis; mons pin-  
guedinis et coagulationis; mons visionis et contemplationis.

Postquam ergo hujus montis sancti loca perspeximus,  
concedimus et collationem fecimus manducantes et bibentes,  
quod nobiscum portavimus, et ultra horam in monte sancto  
mansimus. In tribus enim horis a monasterio in cacumen ve-  
nimus. Cunctis autem terminatis, quae in monte sancto agenda  
erant, disposuimus nos ad ulteriores labores et processimus  
modo, quo sequitur.

### Progressio ulterior.

(b) Descensus peregrinorum de monte Oreb et aliquo-  
rum peregrinorum ascensus in montem S. Catharinae.

Expleta collatione paululumque recreati descendimus de  
monte contra occidentem per praeceps viam periculosam, ter-  
ribilem et saltuosam valde, ita, quod nonnumquam necesse fuit,  
ut submitteremus nos deorsum per saltus, in ventrem nos po-  
nendo super praecipites rupes. Saepe etiam in hoc descensu  
venimus in capitibus rupium in arctas vias dependentes, in quibus  
casus fuisset crudelis mors, nam deorsum per altissimas ru-  
pium parietes quis, mox ut pedem non recte posuisset, ceci-  
disset in valles horribiles; tandemque venimus in quoddam  
monasterium, dictum ad quadraginta sanctos, et ibi ingressi  
ecclesiam adoravimus et indulgentias recepimus (†). Interea

